1259. 8. Augusti

Milano.

Morbio 11 (57)

57.

In nomine domini. Anno dominice natiuitatis millesimo ducentesimo quinquagesimo nono. die ueneris octauo mensis augusti. indictione secunda.
Inuestiuerunt et per omnia in suum locum posuerunt. Georgius moronus et ottobellus corbus ciuis mediol de por ticin fratre ambrosium ferrarium super
stantem supstantie et laboris ecclesie sancti eustorgij mediol nomine illius supstantie et laboris. et per ipsum fratrem ambrosium illam superstantiam
nominatiue de illis et pro illis libr. viginti quatuor tercil sortis quos rugerius et petrus fratres qui dicuntur de agiacino filij quondam franchi qui habitant
de casinas de mancatuto et soliti sunt stare in porta ticin ad ladusam quilibet eorum in solidum dare debebant et tenebant suprascripto georgio. recipienti nomine et
ad partem suprascripti ottobelli ex causa mutui. ut constat per cartam unam traditam et scriptam per ardicum filium quondam jordani cagalanne notarium. m. cc. l viij
die sabbi sexto die aprilis indictione prima. Ita ut amodo in antea predictus superstans nomine illius supstantie siue ipsa supstantia sit et succedat
in ius et locum predictorum georgij et ottobelli pro suprascriptis omnibus denariis sortis. Et cesserunt et dederunt et mandauerunt dicti georgius et ottobellus predicto supstiti
nomine illius supstantie et ipsi supstantie omnia iura omnesque actiones exceptiones replicationes retentiones usus et res et defensiones utiles et directas reales
et personales atque ypothecarias sibi et cuique eorum competentes et competentia contra suprascriptos rugerium et petrum debitores et contra quelibet eorum et eorum bona et contra possessores
et detentatores rerum et bonorum que sunt et fuerunt seu etiam erunt predictorum rugerij et petri. Ita ut per omnia prefatus supstans nomine illius supstantie siue
ipsa supstantia ita possit agere et experiri et excipere et replicare et omni iure uti contra suprascriptos rugerium et petrum et eorum bona et contra possessores et detentatores
rerum et bonorum suorum quemadmodum dicti georgius et ottobellus possent et poterant in omnibus et per omnia. Quod ius et locum dederunt dicti georgius et ottobellus eidem sup
stiti ad partem illius supstantie et ipsi supstantie de suprascriptis omnibus denariis sortis. Et illud ius et locum recepit predictus supstans nomine ipsius supstantie tantum
ad cautelam et defensionem unius sedíminis cum eius hedifitiis et cum curte iacente extra pustlam cluse per medium ecclesie sancte marie cruciferorum quod predictus
supstans nomine ipsius supstantie emit a suprascriptis rugerio et petro seu quod illi fratres vendiderunt eidem supstiti nomine ipsius supstantie. et ad agendum et ad
petendos denarios sortis petendos et exigendos. si predictum sedimen eidem supstiti siue illi supstantie euinceretur in toto uel in parte et tantum quatenus euictio fuit subsecuta.
Et post hanc iuris cessionem fuerunt confessi et contenti dicti georgius et ottobellus recepisse et habuisse ab illo supstite nomine illius supstantie illas libr
viginti quatuor tercil inde numeratis. Renuntiando exceptioni non numerate pecunie et non facte cessionis. Eo acto inter eos et expressim dicto quod hec
iuris cessio non ueniat contra suprascriptos georgium et ottobellum nisi de suo dato et facto tantum et non alio modo. Actum in domo illius supstitis. Presente fr
atre ferrario qui dicitur ricardi. G. m. de por ticin pro notario:—
Interfuerunt ibi testes albertus filius quondam enrici cagatosici et castellus filius vasalli ricardi et barbenti filius quondam conradi bolzate orona qui
laborant in domo suprascripti supstitis:—

Ego riboldus filius quondam beltrami morene de mare ciuis mediolan de por ticin de vicinia sancti laurentij maioris notarius et missus regis tradidi et ad scribendum dedi et subscripsi.

Ego uilian notarius filius quondam martini parote de raude ciuis mediol por romana iussu suprascripti riboldi notarii scripsi:

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1810754232-12/fragment/page=1

1259. 8. Augusti

4 de Ferrayis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1810754232-12/fragment/page=2